

tis. quam per legem Falcidiam hæres habere debet, imputantur res, quas jure hæreditario capit, non quas jure legati, aut fideicommissi, etc.; nam hæc in quartam non imputantur.»

469. *Falcidia subjacet etiam donatio mortis causa, ac fideicommissum particulare.* — Parro subjacent detractioni non tantum legata, sed etiam donationes mortis causa, l. *Si quis*. 18. c. *ad Leg. Falcid.* ibi: « Si enim cum mortis causa donatio procedit, et hæc modum legis Falcidiæ excedat, hæres post additionem repetit eam pecuniam, quæ ultra modum legis Falcidiæ corporaliter quidem data est, lege autem in patrimonio permanso. » Concordat, l. *Si mortis*, 5. c. eod. Eidem detractioni subjecta sunt fideicommissa particularia, l. II. et III. c. eod.

Limitatur conclusio I. In testamento militis: nam « in testamento militis legem Falcidiam, et in legalis, et fideicommissis cessare explorati juris est. » L. XII. c. *de Testam. milit.*

470. *Falcidia non habet locum in testamento militis.* — Limitatur II. In legalis privilegialis, qualia sunt, quæ cum perpetua inalienabilitate relinquuntur; ab his enim Falcidia non detrahatur, Auth. *Sed. et c. ad Leg. Falcid.* ibi: « Sed et in ea re cessat Falcidia, quæ ita relicta est, ne alienetur, sed permaneat apud successores ejus, cui relicta est. » Pariter a detractione Falcidiæ exempta sunt legata pia, Auth. *Similiter*. c. eod. ibi: « Similiter Falcidia cessat in his, quæ ad pias causas relicta sunt. » Differt in hoc aliquantulum jus Bavaricum, utpote concedens, quod tunc saltem a legatis piis, et aliis privilegialis hæres deducere possit Falcidiam, quando legata profana non sufficiunt ad constituendam Falcidiam; prout videre est tit. XXXVIII. a. 2.

471. *Nec deducitur a legatis privilegiatis: secus de jure Bavarico.* — Limitatur III. In casu, quo testator prohibet Falcidiæ detractionem a legatis, etc. Textus est in Auth. *Sed cum Testator*. c. eod. ibi: « Sed cum testator hoc expresse vetuit, non ignarus, quis modus sit sui patrimonii, cessat Falcidia. » Concordat, novella 1. cap. II. in fine. Quibus juribus correctum est jus antiquum, per quod non licuit testatori prohibere detractionem Falcidiæ, cui tamen adhuc adhæret jus Bavaricum, tit. XXXVIII. a. 2. expresse statuens, quod non obstante jure novo Cæsareo testator detractionem Falcidiæ prohibere nequeat.

472. *Neque a profanis, si testator expresse ita cavet, prout de jure communi patet; non item jure Bavarico.* — Resp. II. Ea, quæ de computatione et detractione Falcidiæ dicta sunt, a potiori etiam proportionaliter intelligenda sunt de Trebellianica detrahenda a fideicommissio universalis. Communis et certa. Ratio est, quia Falcidia et Trebellianica in jure novo sæpe æquiparantur, et nomine unius etiam alia venit, prout videre est cit. novella 1. cap. II.

473. *Dicta de Falcidia, intelligenda veniunt etiam de Trebellianica.* — Dicitur tamen notanter a « potiori; » quia præter quam, quod Falcidia a legatis, donationibus mortis causa, ac fideicommissis particularibus, Trebellianica vero a fideicommissio universalis detrahatur, etiam in hoc differunt, quod legata hæredibus fideicommissio universalis gravatur factum computetur in Trebellianica, textu claro cit. l. XCI. ff. *ad Leg. Falcid.* ibi: « Sed in fideicommissaria hæreditate restituenda, sive legatum, vel fideicommissum datum sit hæredi sive deducere, sive præcipere, vel retinere jussus est, in quartam ei imputatur. » Secus est de Falcidia juxta dicta n. 468. arg. cit. l. XCI. ff. eod. Aliam adhuc differentiam advertit Fachin., lib. V. *Controv.* cap. v. videlicet, quod jure communi possit testator prohibere detractionem Falcidiæ, non item Trebellianicæ. Verum Molina, disp. 187. n. 23, Covarruvias, in c. *Raynaldus*. § 3. n. 6. *de Testam.*; Clarus, § *Testamentum*. q. 62. cum communi aliorum hanc differentiam negant, docendo testatorem jure novo æque Trebellianicæ, ac Falcidiæ detractionem prohibere posse ob rationem n. præced. allatam.

474. *Limitatur in aliquibus.* — Quæritur V. An liberi fideicommissio universalis, aut nimis legatis gravati possint præter legitimam etiam Falcidiam, vel Trebellianicam detrahere? Celeberrima est hæc quæstio, et summe controversa inter doctores in tres sententias abeuntes, quorum prima absolute negativam tenet; Cujacius, 8. observ. 5; Hottoman, *Illustr.* q. 44; Hunn., Perez, Zoesius, et alii. Altera docet posse liberos præter legitimam deducere etiam Falcidiam, casu quo legata sub conditione, seu in diem sunt relicta; non item si pure sunt relicta. Gaius, lib. II. *Observ.* 121; Molina, 187, n. 5. et alii. Tertiam sententiam pandit conclusio sequens.

475 et 476. *Liberi præter legitimam dedu-*

cunt etiam Trebellianicam, vel Falcidiam. — Resp. Simpliciter et absolute loquendo possunt liberi præter legitimam etiam Falcidiam, vel Trebellianicam detrahere, casu quo nimis legatis, vel fideicommissio universalis gravantur. Ita docet celeberrimus legista Fachin., lib. V, cap. II; Besoldus, in *Delib. jur.*, ex lib. XXXV. ff. q. 1; Abbas, et Glossa, in c. *Raynutius* et c. *Raynaldus*. h. t.; Engel, h. t. n. 7. ac plures alii, arg. cit. c. *Raynutius*. et c. *Raynaldus*. h. t. ubi sententia nostra expresse videtur decisa, adeo ut plures ex ipsis adversariis fateantur de jure canonico sententiam nostram esse veram, non idem de jure civili. Verum Fachin., loc. cit. cum aliis doctoribus eandem etiam ad longum deducit ex jure civili; apud quos vide. Ratio conclusionis est: quod legitima debeatur liberis jure naturæ, cit. c. *Raynutius*. § *Cum autem*. h. t. ibi: « Legitima portio jure naturæ debita: » et l. *Cum ratio*. ff. *de Bonis damnat.* Trebellianica vero, vel Falcidia debeatur jure civili ob aliam rationem juxta dicta superius; atqui ubi eidem personæ duo diversa accidunt jura, illa est censenda jure duorum, quorum sustinet vices, arg. l. *Si Consul*. ff. *de Adopt.* Itaque quia secundum leges tota hæreditas in 12 partes seu uncias regulariter dividitur, filius universalis fideicommissio gravatus, imprimis jure naturæ pro legitima sua detrahet tertiam, seu quatuor uncias; et quia postmodum remanent adhuc octo uncias, et his pro Trebellianica detrahet quartam partem, id est, duas uncias, adeoque universim sex uncias, seu dimidiam partem totius hæreditatis, prout amplius explicat Abbas, et Glossa, loc. cit. Concordat jus Bavar.; tit. XXXVIII. a. 6.

§ XV.

DE EXHÆREDATIONE HÆREDUM NECESSARIORUM.

477. *Exhæredatio, quid? competit solis hæredibus necessariis.* — Quæritur I. Quid sit exhæredatio hæredum necessariorum? Resp. Exhæredatio est exclusio hæredis alias necessario instituendi, ab hæreditate ob causam legitimam facta. Est in re communis, patetque ex terminis, solum notanda verba, « hæredis alias necessario instituendi; » quia soli hæredes necessarii, non item extranei proprie dicuntur exhæredari, arg. l. *Quidam*. 132. de ff. V. O. ubi dicitur, « In

extraneo exhæredationem esse rem ineptam. » Hinc exhæredatio tantum respectu descendendum, et his deficientibus ascendendum, et in casu institutæ personæ turpis etiam fratrum fieri potest. Quia vero respectu horum non eodem modo, nec ob easdem causas fit exhæredatio, ideo plura instituantur quæsitæ.

478. *Exhæredatio descendendum, ut rite fiat, debet fieri nominatim.* — Quæritur II. Quomodo fieri possit ac debeat exhæredatio descendendum? Resp. I. Ad hoc, ut exhæredatio rite fiat, suumque effectum sortiatur, plures requiruntur conditiones, quarum prima est, ut nominatim exhæredentur, prin. *Instit. de Exhæred.* lib. ibi: « Parens curare debet, ut filium instituat, vel exhæredem eum nominatim faciat, alioquin, si eum silentio præterit, inutiliter testabitur: » et § 5. eod. ibi: « Omnes sive sui, sive emancipati sint, vel hæredes instituantur, vel nominatim exhæredentur. » Si tamen unicus est filius, vel filia, non est necesse eum nomine suo vocare, sed sufficit, si testator dicat: « Filius meus exhæres esto, » § 1. *Instit.* eod.

479. *Et circa totam hæreditatem.* — Secunda conditio est, ut exhæredatio fiat ab omnibus bonis paternis, arg. l. *Cum quidam*. 19. ff. *de Lib. posthum.*, ubi exhæredatio universaliter facta, reprobatu illis verbis: « Cum quidam filiam ex Asse hæredem scripsisset, filioque, quem in potestate habebat, decem legasset, adjecit: et in cætera parte exhæres mihi erit; et quæreretur, an recte exhæredatus videretur, Scævola respondit: Non videtur; et in disputando adjiciebat, ideo non valere, quoniam nec fundi exhæres esse jussus recte exhæredaretur. » Nec dicas: « Potest quis in re certa institui, ergo etiam in re certa exhæredari. » Nam respondet citata l. « Cum quidam ad finem, aliam esse causam institutionis, quæ benigne accipienda est, exhæredationes autem non esse adjuvandas. »

480. *Atque ex legitima causa testamento inserta.* — Tertia conditio est, ut causa legitima exhæredationis in testamento specificè exprimat. Novell. 115. cap. III. ibi: « Et ipsas nominatim ingratitudinis causas parentes suo inseruerint testamento. » Utrum autem testamentum, in quo proles sine expressione causæ exhæredata invenitur, sit ipso jure nullum, an vero per querelam inofficiosi testamenti primum rescindendum,

pro, et contra multum disputant doctores: uti videre est apud Fachin., lib. IV. cap. IX et Covarruviam, de Testament. cap. XVI; Gomez, l. Variar. resolut. 11; Zozium, ad ff. de Lib. et posthum. n. 10. et alios. Porro quænam sint causæ legitimæ exheredandi, dicitur n. 483.

481. Quæ ab hærede scripto probari debet. — Quarta conditio est, ut causa exheredationis testamento inserta, ab hærede scripto legitime probetur, arg. cit. novell. 115. cap. III. prin. ibi: « Nisi probabuntur ingrati, » etc. Et per hoc correctæ sunt jura antiqua, vi quorum exheredato incumberebat probare suam innocentiam, et non hæredi scripto causam exheredationis.

482. Conditiones requisitæ ad exheredationem descendentium, requirantur etiam ad exheredationem ascendentium. — Resp. II. Eadem conditiones, quæ ad exheredationem liberorum, etiam ad exheredationem parentum requiruntur. novell. 115. cap. IV. et novella 22. cap. XLVII.

483. Causæ exheredandi descendentes, sunt quatuordecim sequentes. I. Si descendens parenti manus violentas injicit. — Quæritur III. Quænam sint legitimæ causæ exheredandi descendentes? Resp. I. Causæ justæ ac legitimæ exheredandi liberos, et alios descendentes sunt quatuordecim, quas enumerat. Novella. 115. cap. III. ut sequitur I. « Si quis parentibus suis manus intulerit, » supple injuste violentas: v. g. percutiendo, caput ad parietem allidendo; tundendo, aut simili modo. Ab hac tamen causa immunis est filius, qui pro patria pugnans, patrem hosti adhaerentem percutit, vel occidit: sicut et ille, qui pro defensione vitæ et membrorum contra patrem injuste, aut immoderate castigantem, violentis manibus servato moderamine inculpatae tutelæ se defendit. Covarruvias, in c. Raynutius. de Testam. n. 13. Ratio est, quia, « quod quisquis ob tutelam corporis sui facit, jure fecisse æstimatur. » L. III. ff. de J. et J.

484. II. Si gravem ei injuriam infert. — II. « Si gravem et inhonestam injuriam ei intulerit. » Quænam autem sit gravis injuria, vel levis, vide apud Menochium, de Arbitrar. jud. casu 263; Harprecht, ad § fin. Instit. de Exhered. lib. et alios; Putat Clarus, § Testamentum. q. 32. n. 3; Joan. Andreas, in c. prin. de Donat. et teste Claro. Communis aliorum, huc referri etiam gravem injuriam verbalem, v. g. si quis patrem

nomet proditorem patriæ. Rationem dant: quia gravis injuria verborum æquiparatur verberibus: præcipue si inferatur parenti, utpote cui summus honor et reverentia jure divino et humano debetur. Verum Harprecht, ad § fin. Instit. de Exhered. lib. n. 23. putat injuriam gravem ad propositum esse judicandam sine respectu ad personam parentis; eo quod alias vix esset levis injuria parenti illata. l. Prætor. 7. § 8. ff. de Injur. et famos. libel.

485. III. Si criminaliter accusat: non item, si civiliter. — III. « Si eos in criminalibus causis accusaverit, quæ non sunt adversus principem, vel rempublicam. » Vel sponte et non coactus in causa criminali proles contra parentem testimonium ferat. Glossa, in c. Veniens. de Testib.; Covarruvias, de Testam. cap. XVI. n. 15. Ratio est, quia accusare, et testimonium in caput alicujus dicere, paria sunt. l. Qui cum. 14. § 5. ff. de Bonis libert. Nec excusatur filius, si crimen patris verum sit. Covarruvias, loc. cit. arg. cit. Novell. 115. cap. III. Civiliter autem agens contra patrem, eumque accusans filius exheredari non potest, arg. cit. novella. Ratio est, quia « qui jus suum prosequitur, nemini facit injuriam. » L. CLV. ff. de Reg. jur.

486. IV. Si cum maleficis versatur. — IV. « Si cum maleficis hominibus ut maleficus conversatur. » Ex quibus verbis patet, non sufficere ad exheredationem, si proles cum maleficis conversationem aut societatem habeat, sed etiam requiri, ut ipsa quoque maleficia, vel veneficia sit.

487. V. Si vitæ parentis insidiatur. — V. « Si vitæ parentum suorum per venenum, aut alio modo insidiari tentaverit. » In quæ verba Novellæ notat cum aliis Covarruvias, loc. cit. n. 17. sufficere conatum, etsi effectus non sequatur; puta, quia parens insidias prius deprehendit, vel efficaciter se defendit, arg. cit. Novell. § 5. Ratio est, quia valde detestabile crimen est, ut liberi attentent illis adimere vitam, a quibus vitam acceperunt. Accedit, quod si requireretur etiam eventus, hæc causa nunquam effectum haberet, hoc ipso, quod parens jam occisus exheredare amplius non posset. Putat tamen Covarruvias, loc. cit. Exheredationis causam cessare, si filius parato jam veneno v. g. pœniteat, antequam deprehendatur, vel illud adhibeat.

488. VI. Si cum noverca sua rem carnalem habet. — VI. « Si novercæ suæ, aut concu-

binæ patris filius sese immiscuerit » id est. rem carnalem cum ea habuerit. Jus Bavaricum, tit. XXXV. a. 2. extendit hanc causam etiam ad filiam carnaliter se commiscentem cum vitrico suo, sive cum marito matris suæ.

489. VII. Si desert patrem cum ejusdem præjudicio gravi. — VII. « Si delator contra parentes filius extiterit, et per suam delationem gravia eos dispendia fecerit sustinere » sive in corpore, sive in fama, sive in fortuna. Quantum autem esse debeat dispendium, ut dicatur grave, judicis arbitrio relinquitur, l. I. § 2. ff. de Jure delib. et c. de Causis. 4. de Offic. delegat.

490. VIII. Si pro patre incluso filius recusat fidejungere. — VIII. « Si quemlibet ex dictis parentibus inclusum esse contigerit, et liberi, qui possunt ab intestato ad ejus successionem venire, petiti ab eo, ut unus ex his, in sua eum fidejussione noluerit suscipere, vel pro persona, vel pro debito, in quantum, qui petitur, probatur esse idoneus. Hoc tamen, quod de fidejussione censuimus, ad masculos tantummodo liberos volumus pertinere. » Quibus formalibus Novellæ verbis, quia clara sunt, nihil addendum videatur.

491. IX. Si patrem testari impedit. — IX. « Si quis ex liberis prohibet vel impedit, ne parens faciat testamentum, » juste exheredatur: imo ipso jure exheres est, casu quo, ob tale impedimentum proles, parens testamentum facere nequit; uti contingit, si testes impedit, sigilla abscondit, etc., cit. Novell. 115. cap. III. § 9.

492. X. Si arenariis, et mimis se associat. Arenarij et mimi, qui? — X. « Si præter voluntatem parentum, inter arenarios, vel mimos sese filius sociaverit, et in hac professione permanserit: nisi forsans etiam parentes ejusdem professionis fuerint. » Sunt formalia Novellæ citatæ § 10. Arenarij vocantur, qui in arenam pugnandi causa descendunt, ibique sive cum bestiis, sive cum hominibus publice pugnant. l. Hæc demum. 38. ff. de Oper. libert. His annumerantur hodie ii, qui omnigenis armatura inter se concurrunt, et se invicem pro pecunie insipientium cadunt, vulgo Federfechter, Marrbruder, Lurbruder. Per mimos intelliguntur non tantum illi, qui pro mercede publice coram communitate ludos faciunt, vulgo die Gauckler, Seiltantzer, Schileksnarren, sed etiam joculatores illi, qui dominis ludi causa serviunt, et qui ut tales eorum conviviis se inferunt,

et omnis generis jocos inferunt. Sichard, in Lex. jurid. §. Mimi.

493. XI. Si filia recusat honestis nuptiis luxuriosam vitam ducit. — XI. « Si alicui ex dictis parentibus volenti, suæ filia, vel nepti maritum dare, et dotem secundum vires suæ substantiæ pro ea præstare, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit. » Quamvis enim filia ex eo, quod nuptias a parente oblatas recuset, exheredari nequeat, l. Cum te. 18. c. de Inoffic. testam., tamen exheredationi subjacet, si honestis nuptiis oblatis, luxuriosam vitam ducat.

494. XII. Si proles parenti in amentiam lapsa, competens non præstat obsequium. — XII. « Si liberi parentibus in furorem, vel demantiam lapsis obsequium et curam competentem non præbuerint, » a parentibus ad sanitatem redeuntibus exheredari possunt, cit. novell. 115. cap. III. § 12. ubi etiam statuitur, quod casu quo parentes in talistatu moriantur, hæreditas ab intestato deveniat ad eum, qui ita constituto parenti usque ad mortem succurrebat; dummodo prius liberos, quod parenti succurrat, per attestationem certos faciat, et illi nihilominus parentem negligant.

495. XIII. Si parentem ab hostibus captum non redimit. — XIII. « Si liberi parentem in captivitate hostis detentum non redimunt, dum possunt, » juste exheredantur a patre. Imo ipso jure exheredes sunt, ipsaque hæreditas pro redemptione applicanda devolvitur ad Ecclesiam, ex qua captivus oritur, casu, quo parens in tali captivitate absque testamento moriatur. cit. novell. 115. cap. III. § 13.

496. XIV. Si proles non est catholica. — XIV. « Si quis ex prædictis parentibus orthodoxus constitutus senserit filium suum vel liberos non esse catholicos fide, nec in sacrosancta Ecclesia communicare, in qua omnes beatissimi Patriarchæ una conspiratione, et concordia fidem rectissimam prædicant, et sanctas quatuor synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, et Chalcodonensem amplecti seu recitare noscuntur licentiam habeant pro hac maxima causa ingratos eos, et exheredes in suo scribere testamento.

Hæc quatuordecim exheredandi liberos causæ breviter comprehenduntur in sequentibus versiculis.

Dis septem ex causis exheres filius esto,
Si patrem feriat; vel maledicat ei.
Carcere detrusum si negligat; aut furiosum,
Criminis accuset; vel paret insidias;